2

ALEXANDER PAPA SEPTIMVS.

Ad perpetuam rei memoriam. Sacroſancti Apoſtolatus miniſterium, quod inſcrutabilis diuinæ prouidentiæ altitudo humilitati noſtræ, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, imponere dignata eſt; ad omnium Eccleſiarum ſolicitudini noſtræ ab æterno paſtore commiſſarum cōmodum, quantum nobis ex alto conceditur ſalubriter exercere iugi vigilantia ſatagentes, exorta inter fideles quoſcumque, & præſertim eos, qui in ſortem Domini vocati, ſacriſquè miniſterijs addicti, in pace, & charitate fraterna aſsiduū Altiſsimo famulatum præſtare debent; animorum diſsidia ſecundum æquitatis, atque iuſtitiæ regulas dirimere, illiſquè ne rurſus quandocumque excitari valeant, anſam mature præcidere ſtudemus, ſicut prudenti deliberatione præuia, ad omnipotētis Dei gloriam, Eccleſiarum ipſarum honorem, & quietem, ac ſpiritualem Dominici gregis ædificationem, expedire in Domino arbitramur. Itaquè cauſæ Cathedralitatis inter dilectos filios Priorem, Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Columna, ſeu vt vulgò dicitur, de Pilari Ciuitatis Cæſarauguſtañ. ex vna, ac dilectos pariter filios Decanum, Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Eccleſiæ Sancti Saluatoris eiuſdem Ciuitatis ex altera, partibus vertenti finem imponere cupientes, de nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper cauſa huiuſmodi à nobis

specialiter deputatorum, qui negotium mature perpenderunt, accuratèque discusserunt, vnanimi Consilio, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eamdem causam, ac lites, & controuersias quascumque inter partes ante dictas quomodolibet, & in quacumque instantia, etiam in Sacri Palatij Apostolici Auditorio, quam in alio quouis Tribunali, etiam Nunciaturæ Hispaniarum, & coram quocũque Iudice pendentes, quarum omnium, & singularum statum, & merita, nominaquè & cognomina, ac qualitates Iudicum, & colligantium, & alia quæcumque, etiam specificam, & indiuiduam mentionem, & expressionem requirẽtia præsentibus pro pleno, & sufficienter expressis, ac exactissimè specificatis haberi volumus in statu, & terminis in quibus de præsenti reperiuntur, à prædictis, & alijs quibusuis Tribunalibus, & Iudicibus ad Nos harum seriè auocamus, illasquè omnes, & singulas penitus, & omninò perpetuo supprimimus, perimimus, extinguimus, & abolemus, ac perpetuum desuper vtrique parti silentium imponimus, osquè occludimus. Prætereà ad euitandas rixa, & crebra scandala, quæ oriri solent, quãdo in publicis functionibus, simul conueniunt Capitula, & Canonici vtriusque Ecclesiæ huiusmodi motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem, tenore præsentium, statuimus, & inter has duas Ecclesias, earumque Capitula, & personas deinceps perpetuis futuris temporibus seruetur ordo alternatiuæ in singulis functionibus Cathedralitati competentibus, inchoando ab Ecclesia Beatæ Mariæ de Pilari, quæ prior, siue antiquior, & actualis Cathedralis Ciuitatis Cæsaraugustañ existit: ita vt Prouinciale Concilium in præsenti triennio celebretur in Ecclesia Beatæ Mariæ, absque interuentu Capituli Ecclesiæ Sancti Saluatoris, & cum præsentia solius Procuratoris eiusdẽ Capituli, qui sedebit super omnes Procuratores Capitulorum aliarum Cathedralium suffraganearum: & in sequenti triennio celebretur in Ecclesia Sancti Saluatoris, sine interuentu Capituli Ecclesiæ Beatæ Mariæ, & cum præsentia solius Procuratoris eiusdem Capituli,

qui

qui pariter sedebit suprà omnes Procuratores Capitulorum aliarumq; Cathedralium suffraganearum; & sic seruetur alternatim in futuris Prouincialibus Concilijs in perpetuum. Similiter Diœcesana Synodus proxima celebretur in Ecclesia Beatæ Mariæ cum interuentu solius Procuratoris Ecclesiæ Sancti Saluatoris, qui sedebit post Capitulum Ecclesiæ Beatæ Mariæ: Secunda verò celebretur in Ecclesia Sancti Saluatoris cum interuẽtu solius Procuratoris Ecclesiæ Beatæ Mariæ, qui itidem sedebit post Capitulum Ecclesiæ Sancti Saluatoris; & sic deinceps alternis vicibus. Item in prima vocatione Sedis Archiepiscopalis Cæsaraugustanæ Vicarius generalis, officialis maior, ac officialis ad pias causas eligantur ex gremio Capituli Ecclesiæ Beatæ Mariæ à Capitulo Ecclesiæ Sancti Saluatoris: & in secunda vocatione eiusdem Sedis Vicarius, & officiales prædicti eligãtur ex gremio Capituli Ecclesiæ Sancti Saluatoris à Capitulo Ecclesiæ Beatæ Mariæ, & sic deinceps alternatim. Primo autem futuro Archiepiscopo. Si Pontificali more, ac ritu Ciuitatem ingredi voluerit, occurratur ad portã Ciuitatis à Capitulo, & Clero Ecclesiæ B. Mariæ. Idéque fiat à Capitulo, & Clero Ecclesiæ S. Saluatoris, cum secundo futuro Archiepiscopo Ciuitatẽ solẽniter ingredi volẽte, & sic alternatim, & id ipsum seruetur in receptione Principũ. Similiter primus nouus Archiepiscopus possessionis solemnia inchoet in Eclesia B. Mariæ, vbi litteras suæ prouisionis præsentet, & actus possessionis expleat: mox se conferat ad Ecclesiam Sancti Saluatoris, ibiquè sedens in Cathedra Archiepiscopali, Capitulum, & Clerum ad oris, & manus osculum respectiuè excipiat, cum solutione dimidiæ partis emolumentorum in vtilitatem Ecclesiæ Beatæ Mariæ, & alterius dimidiæ in vtilitatem Ecclesiæ Sancti Saluatoris. Secundus verò Archiepiscopus futurus eadem possessionis solemnia inchoet in Ecclesia Sancti Saluatoris, vbi similiter litteras præsentet suæ prouisionis, & actus possessionis expleat: Deinde se conferat ad Ecclesiam Beatæ Mariæ, ibique sedens in Cathedra Archiepiscopali, Capitulum, & Clerum ad oris, & manus osculum respectiuè excipiat, cum solutione emolumentorum

rum

rum vt supra, & ita alternatim. Pariter processio generalis Sanctissimi Corporis Christi hoc primo anno in ipso die festo inchoetur ab Ecclesia Beatæ Mariæ, & ad eam termi-netur, absque interuentu Capituli Ecclesiæ Sancti Saluato-ris, & in die octauæ fiat processio priuata infra ambitum Ecclesiæ Sancti Saluatoris à Capitulo, & Clero ipsius Eccle-siæ: & in sequenti anno in ipso die festo, processio generali inchoetur ab Ecclesia Sancti Saluatoris, & ad eam termi-netur absque interuentu Capituli Ecclesiæ Beatæ Mariæ, & in die octauæ fiat processio priuata infra ambitum Ecclesiæ Beatæ Mariæ à Capitulo, & Clero ipsius Ecclesiæ; & ita sin-gulis annis in perpetuum alternis vicibus. In supplicationi-bus quoque, quæ fiunt in Litanijs maioribus, & minoribus, nempè Sancti Marci, & Rogationum, & in alijs quibuscū-que processionibus generalibus, tum ordinarijs, tum extra-ordinarijs, quas præsertim fieri contigerit ad instantiam Regis, vel ob aliam publicam causam, prima processio fiat ab Ecclesia Beatæ Mariæ, secunda ab Ecclesia Sancti Salua-toris, & sic deinceps alternatim, & semper cum interuentu Capituli solius Ecclesiæ à qua fiet processio. Seruetur iti-dem hic ordo alternatiuæ in Dedicatione Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, quæ cadit die decimaseptima Iulij, ita vt hoc anno celebretur solemniter, & Pontificali ritu in Ecclesia Beatæ Mariæ, & in sequenti anno in Eccle-sia Sancti Saluatoris: necnon in festis Natiuitatis, Epipha-niæ, Resurrectionis, & Ascensionis Domini, Pentecostes, Natiuitatis, Sancti Ioannis Baptistæ, Sanctorum Apostolo-rum Petri, & Pauli, Sancti Iacobi Apostoli, omnium San-ctorum, & alijs per annum solemniter celebrari solitis, ita vt in earum singulis intersit Archiepiscopus, alternatim in alterutra Ecclesia inchoando ab Ecclesia Beatæ Mariæ. Ve-rumtamen festa Natiuitatis, Assumptionis, & Conceptio-nis Beatissimæ Virginis immaculatæ, ac Sancti Braulij in Ecclesia Beatæ Mariæ; festa verò Sancti Valerij, ac Sancta-rum Iustæ, & Secundæ in Ecclesia Sancti Saluatoris, vt mo-ris est, solemniter quot annis nullo seruato ordine alterna-tiuæ, ab Archiepiscopo celebrari debeant, ita tamen vt festa

hu-

huiuſmodi minimè varient, nec aliquo modo interrumpant alternatiuam in alijs feſtiuitatibus; Ad hæc Cappellani aliarum Eccleſiarum, qui ſingulis Sabbatis tenentur accedere ad Metropolitanam Eccleſiam ad recipiendum ordinem recitandi officium in hebdomada ſequenti, ſeruent ſimiliter præſcriptum ordinem alternatiuæ, ita ſcilicet, vt vno Sabbato recipiant huiuſmodi ordinem ab vna Eccleſia Metropolitana, & in ſequenti Sabbato ab altera Metropolitana initium ſumendo à Metropolitana Beatæ Mariæ; ſolemnes quoque ordinationes, adminiſtratio Chriſmatis, & ſolemnis benedictio Candelarum in die Purificationis, necnon concio fieri cõſueta in Eccleſia Metropolitana per Cõcionatorem Hoſpitalis feria quarta Cinerum pro prima vice fiant in Eccleſia Beatæ Mariæ, ſine aſsiſtentia Capituli Sancti Saluatoris. Et pro ſecunda vice fiant in Eccleſia Sancti Saluatoris, ſine aſsiſtentia Capituli Eccleſiæ Beatæ Mariæ, & ita impoſterum alternatim; Idemquè ſeruetur in ſolemni benedictione Palmarum, in conſecratione Oleorum, & in cæteris functionibus maioris hebdomadæ, quæ hoc primo anno ab Archiepiſcopo fiant omnes in Eccleſia Beatæ Mariæ, & in ſequenti anno in Eccleſia Sancti Saluatoris, cum interuentu Capituli ſolius Eccleſiæ, in qua functiones prædictæ peraguntur. Necnon in adminiſtratione ſubſidij, & excuſati, quæ in primo futuro quinquennio ſpectet ad Capitulum Eccleſiæ Beatæ Mariæ, in ſecundo ad Capitulum Eccleſiæ Sancti Saluatoris, & ſic alternatim de quinquennio in quinquennium. Et generaliter ſupraſcriptum ordinem alternatiuæ perpetuò ſeruet venerabilis Frater Modernus Archiepiſcopus Cæſarauguſtañ. & illius ſucceſſores, atque alij ad quos pertinet, & pro tempore pertinebit, tam in præmiſsis, quàm in alijs quibuſcumque actibus, & functionibus publicis Cathedralitati competentibus, Archiepiſcopus quidem ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, alij verò ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda, ſi contra fecerint. Porrò in comitijs Regni, in quibus ſuffragandi ius habent Prior, & vnus Canoni-

cus Ecclesiæ Beatæ Mariæ, necnon Decanus, & vnus Canonicus Ecclesiæ Sancti Saluatoris, seruetur ordo alternatiuæ, quoad præcedentiam, ita videlicet, vt in primis futuris comitijs Prior, & Canonicus Beatæ Mariæ præcedant Decano, & Canonico Sancti Saluatoris: contra verò in secundi comitijs Decanus, & Canonicus Sancti Saluatoris præcedant Priori, & Canonico Beatæ Mariæ. In alijs verò functionibus, quæ fieri possunt, & solent à Canonicis cuiusque Ecclesiæ, sine Archiepiscopi ministerio, vel præsentia, quales sunt, celebratio horarum Canonicarum, Missa Conuentualis, Officium Defunctorum, anniuersaria, funeralia, celebratio Capituli priuatæ, procesśiones Ecclesiæ, & aliæ huiusmodi, nulla seruetur alternatiua, sed Canonici Ecclesiæ Beatæ Mariæ, has & consimiles functiones faciant in sua Ecclesia seorsim à Canonicis Ecclesiæ Sancti Saluatoris: & è conuerso Canonici Ecclesiæ Sancti Saluatoris, illas faciāt in propria Ecclesia seorsim à Canonicis Ecclesiæ Beatæ Mariæ, ita vt nec in secundis ferijs, & alijs festiuitatibus Capitulum Ecclesiæ Beatę Marię, amplius accedat ad Ecclesiam Sancti Saluatoris, nec vice versa Capitulum Ecclesię Sancti Saluatoris accedat ad Ecclesiam Beatę Marię. Insuper in actibus, in quibus de iure, vel consuetudine requiritur consensus Capituli, Metropolitanę Ecclesię Cæsaraugustañ. non alternatim, sed simul ad validitatem actus concurrere debeant, tam Capitulum Ecclesię Beatę Marię, quàm Capitulum Ecclesiæ Sancti Saluatoris; ita tamen vt Capitula, simul non congregentur, sed vnumquodque seorsim huiusmodi consensum præstet. In futuris autem acquisitionibus inter memoratas Ecclesias, earumquè Capitula, & personas, hoc pro regula seruari debeat, vt fidelium largitiones, tam inter viuos, quàm in vltima voluntate, quæ fient expresso nomine Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Pilari ipsi Ecclesiæ tantùm integrè acquirantur; & quæ fient expresso nomine Ecclesiæ Sancti Saluatoris, similiter ipsi Ecclesiæ tantùm acquirantur absque diminutione: quæ verò fient sub nomine Ecclesiæ Cæsaraugustañ. pro dimidia spectent

ad

ad Ecclesiam Beatæ Mariæ, & pro alia dimidia, ad Ecclesiam Sancti Saluatoris, nisi secus in præmissis à testatoribus, seu benefactoribus cautum fuerit; Cæterum in acquisitionibus huiusquè factis vtraque Ecclesia manuteneatur, & conseruetur in ea possessione, in qua nunc reperitur. In extrahendis verò cadaueribus ex alienis Parochijs, attendantur verba decedentium; nam qui elegerint sepulturam in Ecclesia Beatæ Mariæ, à solis Canonicis illius Ecclesiæ erunt extrahenda; & è conuerso, qui illam elegerint in Ecclesia Sancti Saluatoris, debebunt extrahi à Canonicis ipsius Ecclesiæ. Quo verò ad illos, qui sepulturam elegerint in Ecclesia Cæsaraugustana, seruetur ordo alternatiuæ, nisi ex coniectura voluntatis eligentium aliud appareat. Archiepiscopo autem in extremis laboranti administratio Sanctissimi Viatici, & Extremæ vnctionis, prima vice spectet ad Capitulum Ecclesiæ Beatæ Mariæ, & secunda vice ad Capitulum Ecclesiæ Sancti Saluatoris, eoquè decedente non electa sepultura illius cadauer, hac prima vice sepeliatur in Ecclesia Beatæ Mariæ; & secunda vice in Ecclesia Sancti Saluatoris, & sic de cætero alternatim. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod Archiepiscopus, ac Capitula, & Canonici prædicti, alijvè quilibet cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis, seu alia speciali, & indiuidua mentione, & expressione digni in præmissis, seu eorum aliquo ius, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt adductæ, iustificatæ, & verificatæ fuerint, seu ex alia quacumque quantumvis iusta legitima, pia, & priuilegiata causa, colore, prætextu, & capite, & in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, seu habere prætendentium consensus, aliovè quocumque quantumvis magno formali, incogitato, & inexcogitabili spe-

ſpecificamquè expreſsionem requirente defectu notari,impugnari,limitari,modificari,infringi,redargui,ad viam,ſeu terminos iuris reduci,ſeu in controuerſiam vocari, aut aduerſus illas appertionis oris,reſtitutionis in integrum,aliudvè quodcumque iuris,facti,vel gratiæ,remedium intentari, ſeu impetrari,aut impetrato, vel etiam motu, ſcientia,& poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſo,vel emanato quẽpiam in iudicio,vel extra illud vti,ſeu ſe iuuare poſſe; ſed illa omnia,& ſingula ſemper, & perpetuò firma, valida, & efficacia exiſtere,& fore,ſuoſquè plenarios,& integros effectus ſortiri,& obtinere,ac ab omnibus,& ſingulis ad quos ſpectat,& pro tempore quandocumque ſpectabit,in omnibus,& per omnia inuiolabiliter,& inconcuſsè obſeruari, & illis reſpectiuè plenißimè ſuffragari; ſicquè & non aliter in præmiſsis omnibus,& ſingulis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum palatij Apoſtolici Auditores, ac eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſvè quoslibet quacumque auctoritate, præeminentia,& poteſtate fungentes, & quandocumque functuros ſublata eis,& eorum cuilibet,quauis aliter iudicandi,& interpretãdi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum,& inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Quo circa Venerabili Fratri Vitaliano, Archiepiſcopo Epheſino Moderno,& pro tempore exiſtenti noſtro,& dictæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuncio per præſentes motu pari committimus,& mandamus,vt per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes litteras,& in eis contenta quæcũque vbi, & quãdo opus fuerit,& quoties ab ijs,quorum intereſt,fuerit requiſitus,præuia illarum publicatione, tam in Eccleſia Beatæ Mariæ de Pilari, quàm in Eccleſia Sancti Saluatoris, faciat auctoritate noſtra ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit firmiter, & inuiolabiliter obſeruari; contradictores quoslibet,& rebelles in præmiſsis non parẽtes per cenſuras,& pœnas Eccleſiaſticas, aliaquè opportuna

iuris,

iuris,& facti remedia compescẽdo,inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit,brachij secularis auxilio.Nos enim eidem Vitaliano Archiepiscopo Moderno ,& pro tempore existenti Nuncio,cognoscendi,declarandi,ac decidendi,summariè,& de plano,sola veritate inspecta;ac sine strepitu,& figura iudicij omnes,& quascumque controuersias , quæstiones ; ac dubia,quæ super præmissis,& illorum occasione emergere, aut quoquo modo oriri contigerit,eaquè fine debito terminandi omni,& quacumque appellatione remota,plenissimam , amplissimam, & omnimodam facultatem harum seriè motu,scientia,deliberatione,& potestatis plenitudine similibus,tribuimus,& impartimur.Non obstañ.omnibus, & singulis premissis , ac quatenus opus sit de non tollendo iure quæsito,alijsquè nostris , & Cancellariæ Apostolicæ regulis , necnon fælicis recordationis Bonifatij Papæ Octaui, prædecessoris nostri de vna , & Concilij Generalis de duabus dictis,alijsquè Apostolicis,ac vniuersalibus,Prouincialibusquè,& Synodalibus Concilijs editis,generalibus,vel specialibus constitutionibus , & ordinationibus , ac prædictarum Ecclesiarum,& alijs quibusvis,etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis,& consuetudinibus , etiam immemorabilibus;priuilegijs quoque indultis , & litteris Apostolicis eisdem Ecclesijs, earũquè Præsulibus,Capitulis, Dignitatibus,& personis quibuslibet,sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis , ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs , alijsquè efficacioribus , efficacissimis , & insolitis clausulis,& decretis,etiam irritañ. etiam motu, scientia,& potestatis plenitudine paribus , ac consistorialiter , & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum, concessis, cõfirmatis,& pluries iteratis,ac quantiscumque vicibus innouatis. Quibus omnibus,& singulis,etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis,eorumquè totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua , ac de verbo ad verbum; non autem per clausulas generales , idem importantes mentio habenda,aut aliqua alia forma ad hoc seruanda

foret, illorum omnium, & singulorum tenores, causas, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, seruatis, insertis, & specificatis respectiuè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè, ac plenissimè, & amplissimè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum in Arce Gandulphi Albaneñ. Diœcesis, sub Annulo Piscatoris, die vigesimaprima Octobris M.DC.LXVI. Pontificatus nostri, Anno duodecimo.

Loco ✠ sigilli. S. Corinthieñ.